

Szentábrahádi L. Mihály confessioja. *)

Vera ac genuina confessionis unitariorum transylvanicorum formula, per superintendentem eorum Szentábrahádi dictum, publicata.

1-o. Credo in unum Deum, qui est omnipotens et sempiternus Pater, creator coeli et terrae, quoad visibilia, aut creationem, et tum in substantia, cum in persona tantum unicus, cui similis neque in coelo filius et spiritus sanctus, neque in terra datur, cui soli competit omnis cultus divinus.

2-o. Credo in Jesum Christum, qui est unicus, quidem natus, sed non juxta naturam Dei filius, neque juxta naturam Deus, sed tantum verus Deus, qui nunquam est natus ex substantia patris, sed conceptus a spiritu sancto, id est ex fortitudine aut voluntate Dei, et tantum hac ratione natus ex Maria, respectu temporis conceptionis pura virgine, et creatus est a Deo Patre, qui nullam connexionem habet cum substantia, persona, aut natura Dei Patris, sed immunis a peccatis, nobis hominibus similis est, per quem Deus Pater omnia creavit in nova creatione, aut in nova regeneratione, qui natus propter nostram salutem, affictus, occisus et sepultus est, et si ad inferos descendit, certo certius non ad Lymbum aut Purgatorium (quoniam utrumque hoc est figmentum) sed ad tumbam aut sepulchrum, et resurrexit etiam, sed non ex propriis viribus, sed per omnipotentiam Dei Patris, est etiam in coelum deductus, sed non propter propria merita, cum nec nomen Jesus accepit ex meritis, sed ex gratia Dei, et sedet ad dexteram Patris, unde venturus est ad iudicium, et regni quoque ejus finis erit, postquam omnia manibus Dei Patris resignabit, et ipse quo-

*) E confessio ugyanaz, a melyet fennebb Jakab Elek t. barátunk is közöl, még pedig magyar nyelven. A kettőt csaknem egyszerre kaptuk s így érdekesnek tartottuk egyszerre közölni mindkettőt. Amaz Almási Mihály püspök által is alá levén írva, világos, hogy e confessio a Szentábrahádi püspöksége előtti időből való, ki csak 1737-ben Pálfi Zsigmond után választatott meg püspöknek. Feltűnő, hogy a bevezetés ennél is épen az, a mi a magyar szövegűnél, de a bévezetés hiányzik. Ugy kell lenni, hogy az Almási püspöksége alatt, valószínűleg Szentábrahádi által irt confessio később latin nyelvre is lefordítatott és ismételtén kiküldetett a papoknak. Anynyi bizonyos, hogy e confessio igen becses adat az unitárius egyház dogmatörténetéhez — Szerk.

que Christus Patri subjicietur, ut Deus Pater fiat omnis in omnibus, est tamen dignus adoratione et cultu divino, qui non honorat Filium, non honorat Patrem.

3-o Credo Spiritum Sanctum, sed non in Spiritum Sanctum, qui nec substantiam, nec personam habet, sed est fortitudo, digitus et manus dextera Dei, qui nunquam est adoratus, et nunquam adorabitur, per quem Deus locutus est per Prophetas, et nunc quoque reguntur fideles ad omnes veritates.

4-o Credo universalem christianam apostolicam sed non Romanam Ecclesiam, et in omnibus 4 receptis Religionibus aut confessionibus illorum salutem, qui illam recte quaerunt, et sine peccato vivunt.

5-o Credo communionem sanctorum vivorum, nego autem mortuorum, qui ut aliquid de nobis sciant, aut coram Deo auxiliari possint, penitus nego.

6-o Credo duo Sacramenta, videlicet baptismum et coenam Domini, sed neutrum credo esse sufficiens ad salutem, nego peccatum originale, nego in coena Domini verum corpus et sanguinem Christi, nego sacerdotium sacrificans post Christum, nego confessionem coram sacerdote, nego potestatem sacerdoti ad remissionem peccatorum a Deo datam, nego altare et cultum crucis Christi, nego juvamen Mariae et aliorum sanctorum, nego novi Testamenti missae sacrificium et extremam unctionem, ac reliqua sacramenta.

Credo autem, quod nostri pastores conjugatos, necessitate ita exigente separare, et licentiam cuique parti ad ineundum novum connubium impertiri possint, per quod nihil coram Deo peccant.

7-o Credo resurrectionem, animae nostrae salutem, sed non propter meritum fidei meae aut bonorum operam, neque propter meritum Jesu Christi, verum ex pura gratia Dei.

Haec est sancta fidei nostrae, sanctae fidei unitariorum vera confessio, oportebat illam Dominationibus vestris transcribere, quare Dominationes vestrae saepe congregando eandem comuniter legant, et discant, in illa constanter perseverent usque ad finem, expectando aeternam remunerationem a Deo, cujus benedictio et protectio maneat super Dominationes vestras. Amen. Szentábrahádi, episcopus unitarius.

Közli Kozma Ferencz.